

---

DISPUTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

FEBRE INTERMITTENTE.

---

DISPUTATIO MEDICA

INAUGURALIS

FEBRIS INTERMITTENTE

1841

AVRILIS MENSIS

IN ACADEMIA MEDICA

D. GEORGI BAIRD SS. F. F.

DISPUTATIO MEDICA

INAUGURALIS

FEBRIS INTERMITTENTE

AVRILIS MENSIS

IN ACADEMIA MEDICA

FEBRIS INTERMITTENTE

EDINBURGH

1841

EDINBURGH

EXCUBANT ADAM & WELLS ET SOCIJ

DISPUTATIO MEDICA  
INAUGURALIS  
DE  
FEBRE INTERMITTENTE;

QUAM,  
ANNUENTE SUMMO NUMINE,  
EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,  
D. GEORGII BAIRD, SS.T.P.  
ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NECNON  
AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU, ET  
NOBILISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ DECRETO;  
*PRO GRADU DOCTORIS,*  
SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS  
RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT  
JOANNES REGUEIRA DA COSTA,  
*LUSITANUS,*  
PHILOSOPHIÆ IN ACADEMIA CONIMBRICENSI  
BACCALAUREUS,  
SOCIET. REG. PHYSIC. EDIN.  
SOCIUS ORDINARIUS.

---

*“ He had a fever, —————  
“ And when the fit was on him, I did mark  
“ How he did shake.”*

SHAKSPEARE.

---

Prid. Id. Septembris, horâ locoque solitis.

EDINBURGI:  
EXCUDEBANT ADAMUS NEILL ET SOCII.

---

1804.

DISPUTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

FEBRE INTERMITTENTE

PHILIPPO REGUIRA DA COSTA

ANNENTE SUMMO NUMINE

EX AUCTORITATE REVERENDI APMODUM VIRI

D. GEORGII BAIRD, S.S.T.P.

PROFESSORIS PRAECEPTI

IN

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CORONATI DE

NOBILISSIMAE FACULTATIS MEDICAE

PRO GRADU DOCTORIS

SUBMITTITUR IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

RITE ET LEGITIME CONSERVANDIS

EXACTISSIMO EXAMINE SUBJICIT

IOANNES REGUIRA DA COSTA

ALUMNUS

QUI IN ACADEMIA CONSTITUTIONALI

PROFESSORIS REGUIRA DA COSTA

IN ACADEMIA CONSTITUTIONALI

SHARPERIAN

IOANNES REGUIRA DA COSTA

Phil. in Septembri, hora laudat soluta

KLINBERGI

EXCURSANT ADAMUS WELT ET SOCII

1854

FRATRI CARISSIMO,

PHILIPPO REGUEIRA DA COSTA,

IN

SACRORUM CANONUM FACULTATE

ACADEMIÆ CONIMBRICENSIS

BACCALAUREI GRADU, FORMATURAQUE

INSIGNITO;

OB

CURAM IN EUM PLUS FRATERNAM,

FRATERNAM AMORE

MOTUS,

HANC DISPUTATIONEM

D. D. CQUE

JOANNES REGUEIRA DA COSTA.

FRATRES CARISSIMO,

PHILIPPO REGUEIRA DA COSTA,

IN

SACRORUM CANONUM FACULTATE

ACADEMIE COMMERICKSIS

BACCALAUREI GRADU, FORMATURUS

INSIGNITO;

DE

CURAM IN EUM PIUS TRATERNALIS

TRATERNALIS

NOTUS,

HANC DISPUTATIONEM

D. D. D.

IOANNES REGUEIRA DA COSTA,

COMPOSUIT

IOANNES REGUEIRA DA COSTA,

PATRUO REVERENDO,

JOAQUINO REGUEIRA DA COSTA,

IN

SACRORUM CANONUM FACULTATE

ACADEMIÆ CONIMBRICENSIS

BACCALAUREI GRADU, FORMATURAQUE

INSIGNITO ;

TAM VIRTUTIBUS, QUAM LITERIS HUMANIORIBUS

ORNATO ;

PEREXIGUUM HOC

GRATI ANIMI

MONUMENTUM

LITERIS

CONSIGNAT

JOANNES REGUEIRA DA COSTA.

Digitized by the Internet Archive  
in 2020 with funding from  
Wellcome Library



# DISSERTATIO MEDICA

## INAUGURALIS

DE

# FEBRE INTERMITTENTE.

---

**U**NICUIQUE, mundi fabricam perpendenti,  
Divini Opificis potentia, sapientia, et  
bonitas, ubique sese manifestant; sed in nul-  
la re magis elucescunt, quàm in corporis hu-  
mani structura. Quum verò mortales plu-  
rimis morbis obnoxii sint, a causis tam in-  
ternis quàm externis; ut hos sanare discerem,  
a Lusitania, per Hispanias iter antea faciens,  
ad hanc Academiam, cujus fama jam ubique  
A pervadit,

pervadit, postremò veni, ubi altè culta est Medicina, quâ nulla existit ars magis honesta, viroque ingenuo magis digna.

Apud veteres, medicinæ cultores in numerum Deorum relati sunt: Nec mirum; quid enim hominibus magis utile, magisque admirabile, quàm morbos pellere, ægros sanare, sanitatemque tueri? Quoniam igitur laudabili Academiae hujus illustrissimæ instituto receptum sit, ut unusquisque Lauream Apollinarem ambiens, non solùm privata subeat tentamina, coram viris doctissimis, famaue admodum celeberrimis, sed specimen aliquod diligentiae suæ in apricum proferat. Hisce legibus obtemperans de Febre Intermittente aliquid disserere institui.

MORBI

## MORBI HISTORIA.

FEBRIS quæ per vices impetum suum remittit, ut plena *απυρεξία* inter duos quosque paroxysmos intercedat, vocatur Intermittens. Unusquisque paroxysmus est febris succincta, seque in tria dividit stadia, quorum phænomena, ordine quo plerumque se alternatim excipiant, recensebimus.

## PRIMI STADII PHÆNOMENA.

Primum stadium incipit oscitatione; paniculatione; sensatione circa spinam dorsi admodum molesta; pallore extremorum; lassitudine; debilitate; pulso citato, parvo, inordinato; dolore articulorum, dorsi, capitis; frigoris sensatione; horrore, rigore, tremore; insensibilitate;

insensibilitate ; respiratione anhelâ, anxietate ;  
nauseâ, vomitu ; siti maximâ ; urinâ ut plurimum  
tenui, pellucidâ.

PHÆNOMENA SECUNDI STADII.

Cum hæc symptomata per aliquod tempus permanserint, mitescere incipiunt ; et altera morbi facies subit. — Frigus excipit calor urens ; rubet cutis ; jamque prorumpente per totum corpus sudore, pulsus fit mollis, plenus ; respiratio libera ; leniuntur dolores ; omnia nunc remittunt symptomata ; urina rubra sedimentum deponit lateritium ; blandus irrepit somnus ; et plena succedit apyrexia.

Pro diversa febris indole, ægrique temperie ac ætate, duratio stadiorum varia est. Quò graviùs invadit frigus, eò acrior plerumque insurgit febrilis æstus, secundum clarum BOERHAAVIUM, aliosque auctores clarissimos ; contra verò, post brevem frigoris insultum, calorem

lorem protractiorem intensissimumque haud rarò observavit SENACUS.

---

### DE APYREXIA.

Homo qui modò ægrotabat, diebus intercalaribus, nunc sanitate illibata frui videtur, atque vana spe erigitur sæpissimè, quasi omninò a febre liber foret. Adest tamen interdum pulsus tardiusculus, debilitas, ac in sudorem proclivitas.

In varias species, febres intermittentes distinguuntur; pro duratione temporis apyrexia, scilicet, in quotidianas, tertianas, quartanas. Dantur quintanæ quoque et sextanæ, sed rarissimè occurrunt. WERLHOFIUS testatur se aliquando vidisse etiam octanas, quæ eodem unius hebdomadæ cujusque die, quater singulis mensibus, veluti lunæ per phases, accesserint. SAUVAGESIUS sexaginta species,

cies, aut plures enumerat; nonnullæ verò harum inter varietates fortè rectiùs recenseantur.

Febres intermittentes vere et autumno quàm maximè prodeunt; hinc, in Vernales et Autumnales jurè distinguuntur. Vernales ad inflammationem, autumnales verò ad putredinem aliquatenus, vergere observantur. An verò totâ naturâ inter se discrepent, uti SYDENHAMO visum est, vel tantum signis quibusdam, ut SENACUS et PRINGELIUS contenderunt, adhuc sub iudice lis est. Febres intermittentes sæpe varios alternatim induunt typos; nonnunquam sub specie febris continuæ incedunt, et paulò post in remittentes migrant; nunc tertianæ typum, nunc quartanæ assumunt; modò tempus accessionis anticipant, modò postponunt. Nonne hoc Sydenhamiana cum opinione pugnare videtur?

CAUSÆ

## CAUSÆ REMOTÆ.

AD tria genera, causæ remotæ referri possunt.

I. Ad *effluvia* quædam ex paludibus vel agris humidis, sub quodam caloris gradu exhalata. De his infra.

II. Ad *frigus* externè admotum. De hoc postea agendum erit.

III. Ad *debilitatem*, seu nimiam mobilitatem generis nervosi : Quæ imprimis hasce causas agnoscit,

1. *Idiosyncrasiam*, quæ facilè in debilitatem labitur.

2. *Morbos*

## § DE FEBRE INTERMITTENTE.

2. *Morbos prægressos*, præsertim febres intermittentes. Cæteris enim paribus, quò diutiùs hæ perstiterunt, eò faciliùs recidivæ sunt, ideoque convalescentes facillimè in easdem relabuntur. Quippe quum, ex lege œconomix, motus plerique, et conditiones primùm minimè naturales, sæpiùs iterati, vel diuturnè continuati, quasi solennes fiunt, et ægrè extolluntur, vel, si possint, data occasione, promptè redintegrantur.

3. Errores in rebus, vulgò *non-naturalibus* nominatis, quibus debilitas, succedit.

4. Pathemata enervantia; qualia sunt timor, desperatio, mœror, et alia id genus.

5. Affectiones quasdam stomachi, vel ex morbo proprio vel sympathetico, vel ex crapula, orientes, quarum singulæ debilitatem afferant.

Evacuationes



## 6. Evacuationes enormes.

Ad *effluvia*, quæ suprâ memoravi, redeo, quippe quæ maximi momenti sint.

Ex causis hujus morbi remotis, efficacissimæ sunt miasmata paludosa, quibus intelligimus quiddam a paludibus, vel agris madidis, quodam caloris gradu eductum, et in aëra diffusum.

Omnes, ab HIPPOCRATE ad nostrum usque seculum, de intermittentibus tractantes, in locis palustribus, vel aliis post inundationes, illas maximè grassari notaverunt. Quam ob rem, haud pauci quidem, easdem ex humiditate mera, vel vaporibus purè aquosis, contendunt oriri. Talia autem nequaquam posse tantos effectus edere, ex sequentibus documentis liquidò patebit.

Primò, nautæ, et homines juxta lacus profundos, et maria alta accolentes, non speciali-

ter intermittibus opportuni sunt ; nec, secundò, illi sæpe imbribus delassati ; tertio, cujusdam meridionalis gentis meminit ARBUTHNOTUS, cujus incolæ operibus magnam diei partem versantur, aquâ collo tenuis immersi, neque tamen, præ cæteris, intermittibus infestantur. Quarto, haud rarò balneo arcere imminemtem accessionem possumus, et præsentem, ante tempus, fugare. Postremò, agris recessu vel evaporatione aquarum limosis relictis, hæ febres solummodo grassantur. At, si reducantur aquarum copiæ, intermittentes æquè certè supprimuntur, ac si terra ipsa siccior reddatur.

Proindè manifestum est, paludes vel lacus depressos, solùm ista emittere posse, quæ hominibus intermittentes inducunt. In his locis, verisimillimum est, fermentationem quandam, fortassè putridam, fieri. Sed a quacunque causa, pro certo sanè scimus, quasdam materies sui generis evolvi.

De miasmatum indole nihil comperimus. Opinatur LANCISIUS, partim animatam, partim inanimatam esse. Utrum necne, haudquaquam liquet, neque multùm refert.

De eorundem utique effectibus in homines, certiores facti sumus. Namque, per aërem disseminata, pro causa intermittentium, saltem epidemicarum, si non omnium, recensenda sunt. Quandocunque enim hæc absunt, vel ista quæ supra monstravimus ad eorum generationem necessaria esse, tunc homines harum febrium expertes vitam degunt.

Hæc noxia, vel haud longè per cœlum se dispergunt, vel, per diffusionem aut mixturam, vim corpori nocendi prorsùs amittunt. Hoc comprobant multi.

RAMMAZZINIUS ait, hunc morbum, in humilioribus tantùm locis, ac ubi stagnant aquæ, sedem habere.

PRINGELIUS

PRINGELIUS observat, non solum milites advenas, sed etiam terræ indigenas, tanto plures febricitare, quantò propiùs ad paludes commigrant; et loca altiora, quamvis non longè remota, esse salubria.

LINDIUS quoque, febrium continuarum remittentiumve, in oppido PORTESMUTHA, et ferè per totam insulam PORTSEAM, sævientium, meminit. Eodem tempore, GOSPORTUS a MAGNO PORTU mille passuum solummodò dissitus, his febribus vacavit.

Has febres, tum epidemicas, ad intermittentes obiter referre licet, quoniam cinchona officinali optimè curabantur.

Febres intermittentes autumnò maximè grassari, ego ipse non rarò observavi prope OLISIPONEM, pago VIA LONGA dicto, et ferè per totum TAGI marginem, ubi aquæ, ab ejusdem inundatione hyemis tempore, stagnant; apud CONIMBRICAM et LAVARAM, ubi, eodem anni tempore,

tempore, flumina, MONDEGUS et VOUGA, extra ripas suas effluunt.

Præter hæc, his miasmatis inest aliquid notatu dignum. Peregrini nempè, multò faciliùs, quam indigenæ, illis contaminantur. Hoc consuetudine, vel potentia systematis nostri, qua omnia huic applicata, mobilitatem minimè augentia, iteratione aut flaccescunt, aut omninò impotentia fiunt, oriri videtur. Hanc ob causam etiam videre est, quare intermittentes, illos potiùs, quam hos, aggrediantur.

Si ad tempus anni et aëris constitutionem respiciamus, sub quibus intermittentes imprimis grassantur; scire licet, calore haud minimo opus esse: namque, in summa hyeme, vel primo vere, rarissimè occurrunt; et ne semel quidem epidemicarum nomen meruere, antequam solis ardore exhalationes ex stagnis factæ fuerunt uberiores, et aquæ nunc cœnosæ in putredinem vergunt. Hoc expedite  
 aquis

aquis impuris, variisque fracescentibus refer-  
tis, et calori patentibus, contingit. Multùm  
potest calor in plerisque morbis epidemicis  
promulgandis; inter quos locum tenent in-  
termittentes.

Calor, præter potestatem miasmata pro-  
ducendi, corpus magis opportunum reddit,  
quod causis febrium afficiatur. Namque firma  
simplicia laxat; vires enervat motrices; ea-  
rum verò mobilitatem intendit, et fortassis,  
fluida justo propiùs ad putredinem trahit. Si  
calida et uda aëris temperies sit, quod sæpe ac-  
cidit, magis noxia et periculosa fit.

Aër jam aqua gravatus, minùs ad evehen-  
dum perspirabile pollet, adeoque perspiratio-  
nem valdè inhibet, et corpus debilitat.

Docuit LINDIUS, Eurum vapores crassos et  
nebulosos ex stagnis limosis elicuisse, qui su-  
bitò mercurium in thermometro infra gelu sæ-  
pissimè depresserunt.

Nonne

Nonne hoc, ad pestiferam hujus venti qualitatem explicandam, et intermittentium cum crebras invasiones tum relapsus, illo tempore, conducet ?

Ex cunctis proinde creditu facile est, eâdem origine omnes intermittentes vel sporadicas esse prognatas. An per longum tempus in corpore latere queant miasmata ; vel, an omni humida terræ parte, quod verisimile est, subinde suppeditata, imbecillis et his ad hunc morbum aptissimis noceant, nihil refert.

Idcirco quidem, ut opinor, valdè dubitatur, an intermittens, saltem primaria, sine his, unquam fiat.

Hæc verò sola rarissimè sufficiunt, sed intercedentem aliam postulant causam, quæ sæpiùs est frigus, vel alia supra relata, ut morbus inducatur. Aliquando autem sola valere videntur.

RATIO

## RATIO SIGNORUM.

LANGUOR, debilitas, et lassitudo a vi systematicis nervosi, ob potestatem causæ excitantis sedantem diminuta, ortum deducere videntur.

Faciei pallor, moles corporis imminuta, cutis siccitas, pedum manuumque frigus, me judice, hinc oriuntur, quod, stadio frigido durante, sanguis ad partes corporis a corde remotas, quantitate idonea, justaque vi minimè propellitur.

Cum sanguis, sub initio paroxysmi, circa cor et vasa majora, quantitate inusitata, colligatur, viscera interna diversa eo, præter consuetudinem, distendantur et irriterentur oportet.



portet. Hinc forsitan anxietas, sensusve molestiæ, vomitus sæpe materiæ biliosæ, et alia signa, proficiscuntur. Tremores corporis, potissimum artuum, debilitas, et irritabilitas huic constanter adjuncta, evidenter faciunt.

Post aliquantum temporis elapsum, renixus systematis effectus miasmatum sedantes superat. Hoc autem in causa est, cur calor redeat; lævitas cuti, pristinaque corpori moles restituitur; et rubor etiam superficiem tandem revisat. Sanguis nunc in vasa minora diffunditur, quia cor et systema vasculosum irritabilitatem pristinam, aliqua ex parte, redipiscuntur. Cutis verò adhuc sicca restat, quoniam vasorum sanguinem vehementium collapsus non adhuc ex toto sublatus est. Sanguis, circulo suo non ita ut nuper circumscripto, vasa cutanea pervadit, ea aperit et relaxat, et tandem sudorem movet. Corpus, cum hic aliquandiu defluxit, ad statum naturalem reducitur.

Dum stadium frigoris manet, varium in modum afficiuntur functiones vitales. Cor, propter cerebrum malè affectum, et nimiam sanguinis quantitatem ad se constanter celeriusque adductam, modo abnormi micat. Cùm calor verò rursus exsuscitatur, ictus arteriarum pleni, duri, et magis æquales evadunt; namque cor nunc naturaliter stimulatur, et vi sese contrahit. Postquam sudor paulisper manavit, pulsus arteriarum molliores et tardiores fiunt.

Quantum ad respirationem attinet, ea, frigore dominante, ob sanguinem in partibus internis nimis copiosè congestum, frequens, molesta, et difficilis esse reperitur. Nec res aliter sese habere potest, cum circùitus sanguinis per pulmones, quo aër mephiticus e corpore debeat expelli, tantoperè perturbetur et interpelletur. Hæc autem, cùm sudor prorupit, et aliquandiu profluxit, in morem aliarum functionum levatur, et statui pristino restituitur.

Non

Non parum detrimenti a frigore invalescente capiunt animi attentio et memoria, et delirium nonnunquam accedit. Sensibilitas magnoperè diminuitur, et stupor et somnolentia in ægrum eò usque invadunt, ut apoplexia videatur laborare.

Leges generis nervosi accuratiùs investigari, et clariùs intelligi oportet, antequam mutationes morbidas diversas ei illatas exponere aggrediatur. Hæ tamen, licet notitiam earum justam minimè adhuc attigerimus, actionem cerebri multùm imminui et perturbari clarè demonstrant.

Per decursum stadii caloris, memoriam attentionemque animi recuperat ægrotus. Hanc ob causam forsitan, quod ea sanguinis quantitas, quæ ad functiones cerebri ritè peragendas necessaria est, capiti restituitur, vel saltem, qui in caput urgetur sanguis, is idoneâ celeritate transmittitur. Quantum functiones naturales

turales spectat, hæ quoque affectibus vitiisque diversis patent. Appetentia cibi eò usque deficit, ut ab alimentis omnibus abhorreat æger. Consensus verè mirabilis, ventriculum inter et superficiem corporis, intercedit; namque, quodcunque perspirationem, ad certum gradum usque, adauget, id appetitum quoque excitat et intendit, et contra, quodcunque spiracula cutis occludit, perspirationemque igitur diminuit aut supprimit, id quoque appetitui inimicissimum est. Quinetiam quibusdam secretionibus, hoc in morbo vel diminutis vel suppressis, succus gastricus ritè secerni nequit, et aut parcior solito evadit, aut dotibus vitiatur. Igitur appetentiæ defectus, a tono ventriculi justo amisso, aut a secretionem succi gastrici parcioris vel vitiata, proficisci non sine causa gravi potest existimari.

Sitis autem, a vasculis exhalantibus oris fauciumque, quodammodo constrictis et occlusis, originem ducit.

Urina

Urina, paroxysmo ineunte, limpida et tenuis est; quia vasa minutissima renibus propria, in modum aliarum systematis sanguiferi partium, diametro imminuta, crassiores urinæ partes per se transire non patiuntur.


---

### PROGNOSIS.

FEBRIS intermittens plerumque, sed præcipuè in regionibus temperatis, periculo vacat; si initio peritè tractatur, plerumque citò ac certè sanatur. Si autem medicamenta inertia adhibeantur, sæpe diu perstat; et morborum, qui tandem aliquando exitium afferunt, fundamenta jacid.

Intermittens nonnunquam signorum gravitate ægrum rapit: periculum autem sæpiùs oritur a viscerum scirrho, dysenteria, aut hydrope;

drope; qui morbi quibusdam intermittentibus, imperitè tractatis, aut naturæ relictis, supervenire solent. Præter autem pericula, quæ ex signorum violentia, aut morbi effectibus imminent, haud rarò, in quarundam anni tempestatum, et terræ locorum, intermittentibus peculiarem malignitatis characterem, ad quem medici animum sùmma cura advertere debebunt, invenimus.



### RATIO MEDENDI.

HUNC morbum, modò diathesis phlogistica, modò summa debilitas comitatur. Igitur cùm morbus, sub formis tam variis, invadat, consilia medendi, quæ morbi naturæ ex toto conveniunt, seligere et monstrare minimè facile est.

Cum res ita se habeant, necessarium est dicere priùs de medicamentis variis, quæ  
 medici

medici præscribere consueverint, deinde de praxi hodierna paucis disserere.

I. De *Emeticis*.—Hæc autem remedia, experientia teste, non solùm in febres omnium generum, sed etiam in varios, qui systema nervosum invadunt, morbos plurimum possunt. Conditionem nervorum morbidam mutant, ventriculum et canalem alimentarium sordibus liberant, et igitur actioni remediorum efficacissimorum, quæ in usum postea advocentur oportet, planè auxiliantur. Attentionem medicorum non fugit, quantitatem cinchonæ officinalis minorem ad morbum depellendum constanter sufficere, ubi, sub initium, ad emetica fuit decursum.

In hanc sententiam ex toto concessit sagax illustrisque PRINGELIUS, qui sequentia memoriæ prodit, “If an evacuation of the bowels  
“ was produced by the emetics, the disease  
“ was rendered much lighter, and sometimes  
“ cured.” In usum eorum tamen, non nimis  
diu

diu perstare debemus; quia frequenter adhibita ventriculi vires convellunt, et non parum debilitati universæ adjiciunt, contra quam, hoc in morbo, enixè pugnandum est.

II. De *Stimulantibus*.—Stimulantia, in longum annorum decursum, laudibus, et meritò, summis fuerunt elata. Medici verò hodierni, quod mirandum est, ea pro parum efficacibus contra morbum medicamentis habent; quamvis eos minimè præterire potest, intermittentes usu eorum non rarò fuisse sanatas, etiam postquam cinchona officinalis satis diu, et quantitate idonea, sine ullo fructu prospero, fuerit adhibita. Quicumque historiam Romanam, uti decet, diurna nocturnaue manu versavit, is probè sciat oportet, QUINTIUM FABIIUM MAXIMUM, signa cum ANNIBALE, duce rei militaris imprimis perito, collaturum, febre intermittente, qua aliquandiu fuerat colluctatus, insperatò fuisse liberatum. Hoc autem sine ulla dubitatione, a spe exhilarante, qua nihil corpus humanum magis excitare



excitare potest, quaque illo tempore non affici non poterat, clades numerosas patriæ illatas ulciscendi, hostemque, omnium, quotquot unquam fuerunt, ROMÆ longè formidolosissimum, delendi, proficiscebatur.

III. De *Arsenico*.—Quantum hoc spectat, memoria nunquam excedat, sine aliquanto periculi nunquam posse præscribi.

GREGORIUS illustrissimus ac præclarissimus, de hujusce medicamenti usu verba faciens, affirmavit, se duo exempla novisse, in quibus effectus exitiales ediderit, licet externis tantum partibus fuerit applicatum. Quinetiam eodem tempore adjiciebat, non opis esse humanæ, si, in morem mercurii, in corpore accumulabitur, obstare, quò minùs magnopere lædat.

Exempla non desunt, in quibus nunquam convaluerint, nec vires sibi rursus adepti sint

D

ægotantes,

ægotantes, etiam minimis tantùm dosibus, in aliquantum temporis sumptis.

Igitur aut tali remedio, ex toto, abstinendum est, aut eo in his casibus solis utendum, ubi omnia alia medicamenta spem nostram omninò frustrata sunt.

Proximum autem est, ut, qualis praxis hodierna et usitata sit, brevissimè consideremus.

Quantum ad cathartica attinet, alii, de usu eorum, alia senserunt. Alii utilitatem eorum limitibus perquam angustis circumscribunt, ea ad nullam aliam rem, quàm merè ad intestina sordibus exoneranda, accommodari affirmantes. Ab aliis verò, præcipuè à WADEO, multis laudibus ornantur, et contra intermittentes imprimis efficacia esse judicantur.

Vir celebris etiam, JACKSONIUS nempe, contendit, ea ad formam intermittentibus minùs

nus abnormem comparandam conferre. Quoscunque alioquin effectus edant, pro certo affirmare non audeo; hoc autem compertum habeo, ea ad diathesin phlogisticam, quandoque invalescit, diminuendam evidenter magnopere facere.

Si corpus sit plenum, et redundantia sanguinis laboret, sanguinis detractio necessaria esse videtur, antequam ad medicamenta tonica decurritur, quæ, alioquin, intermittentem in continuam periculosissimam convertere periclitarentur. Magis modica vero sit, quam in febribus inflammationem habentibus, et debilitas mox accessura semper respiciatur.

Alia remedia insuper, ut astringentia, amara, et aromata, a multis medicis fuerunt laudibus non modicis elata.

Omnibus verò hisce medicamentis, quotquot sunt, palmam facile præripit cortex cinchonæ officinalis, qui omnes remediorum  
modo

modo comprehensorum dotes conjunctas possidet, et, uti experientia duarum ferè annorum centuriarum abunde testatur, effectus optimos, in casibus innumeris, constanter ferè edidit; spem medicorum rarissime fallit, nisi obstructions viscerum adsint, vel diathesis phlogistica invalescat. Quantum ad obstructions attinet, licet plerique medicorum eas usu corticis graviores redditum iri credant; timor eorum tamen causam justam longe excedit. Namque a tono amisso plerumque pendent, et nihil, ad eas depellendas, cinchonâ officinali accommodatius esse videtur. Et, quod hanc rem ultra omnem dubitationem collocat, est experientia viri doctissimi HOMIUS, a quo accepi, plerasque hujuscemodi obstructions cortici feliciter cedere, ut ille comperit, medicinam, apud exercitum BRITANNICUM, in GALLIA BELGICA faciens. Si vero cinchonâ officinali non tollantur, periculum mercurii, utpote qui vim discutientem potentissimam habeat, facere forsitan conveniet. Cautè tamen adhibeatur, et non sine ratione gravissima,

sima, quoniam vires systematis magnoperè convellit.

Quantum ad diathesin phlogisticam attinet, ea semper regimine antiphlogistico et diæta tenuiore prius removenda est, quam ad cinchonam officinalem decurritur.

De tempore, quo cinchona officinalis dari debeat, alia alii medici opinantur. CULLENUS celeberrimus sibi in animum induxerat, et ab hac opinione nunquam deflectere voluit, corticem, pauculis horis ante paroxysmum expectatum, dari debere; et minorem ejus quantitatem, si hoc modo sumatur, ad morbum sanandum sufficere, et certius reditum paroxysmi præcavere. Alii verò, qui in curatione febrium intermittantium plurimum fuerunt versati, existimant, corticem cinchonæ officinalis nunquam tam efficaciter agere, nec tam in morbum posse, quam cum, sub initium apyrexiaë, assumatur, et, donec tempus solitum paroxysmi expectati præteriverit, continuetur.

Quantum

Quantum spatium, per quod in usu ejus perseverari debet, spectat, sumatur donec omnia signa ex toto decesserint, et reditus paroxysmi non amplius reformidetur.

Opium silentio minimè prætereundum est, utpote quod optimos effectus in febribus intermittentibus edat. Vi suâ antispasmodicâ spiracula cutis recludit; sudorem copiosum movet; sicque paroxysmum citiùs perducit ad finem.

Quo opusculum hocce ad finem perducamus, nihil omnino, post usum medicamentorum supra positorum liberalem, præter atoniam corporis et debilitatem, timendum. Contra has igitur, spatium temporis non modicum, omni ratione constanter pugnandum est; quoniam, his invalescentibus, periculum est, ne redeat paroxysmus. His efficacissime occurrunt, diæta lautior, et omnia quæ corpus corroborant; ut exercitatio modica singulis diebus adhibita, lavatio frigida, &c. Denique


nique corpus per vestimenta calidiora, potissimum lanea, a frigore bene defendatur, ne hoc cutis halitum supprimat, impetum humorum interiora corporis versus faciat, et igitur omnia signa renovet.



DE FEBRE INTERMITTENTE

in quo corpus per vestimenta calidius, hinc  
simul hinc, a frigore bene defendatur, ne  
hoc erit hinc hinc supponat, impetum hinc  
tam interiora corporis versus faciat, et igitur  
omnia signa renovet.

in quo corpus per vestimenta calidius, hinc  
simul hinc, a frigore bene defendatur, ne  
hoc erit hinc hinc supponat, impetum hinc  
tam interiora corporis versus faciat, et igitur  
omnia signa renovet.



in quo corpus per vestimenta calidius, hinc  
simul hinc, a frigore bene defendatur, ne  
hoc erit hinc hinc supponat, impetum hinc  
tam interiora corporis versus faciat, et igitur  
omnia signa renovet.